

non aufum congrēdi hostem, aut sicubi restiterat, statim pulsū, nec unquā magis (ut ex captiuis cognitum est) pauentem.^a Quippe inuictos & nullis casibus superabiles Romanos prædicabant, perdita classe, amissis armis, post constrata equorum virorumque corporibus litora, eadem virtute, pari ferocia, & veluti aucti numero inrupissent. Reductus inde in hiberna miles, latus animi, quod aduersa maris expeditione prospera pensauisset. addidit munificētiam Cæsar, b quantum quis damni profectus erat, exoluendo. Nec dubium habebatur, c labare hostes, petendæque pacis consilia sumere, & si proxima æstas adijceretur, posse bellum patriari. d sed crebris epistolis Tyberius monebat, rediret ad decretū triumphū: satis iam euentuum, satis casuum: prospera illi & magna prælia: eorum quoque meminisset, que venti & fluctus nulla ducis culpa, grauiata tamen & sæua damna intulissent: se nouies à diuo Augusto in Germaniam missum, f plura cōsilio, quàm vi perfecisse: sic Sicambros in deditiōnem acceptos, sic Sueuos, regemque Maroboduū pace obstrictum: posse & Cherufcos cæteraque rebellium gentes, g quando Romanæ vltioni cōsultum est, h internis discordijs relinqui. Precate Germanico annum efficiendis ceptis, acrius modestiam eius adgreditur, alterum consulatum offerendo, cuius munia præsens obiret. Simul adnectebat, si foret adhuc bellandum, relinqueret i materiem Drusi fratris gloriæ, qui nullo tum alio hoste, non nisi apud Germanias adsequi nomen imperatorium, & deportare lauream posset. i Haud cunctatus est vltra Germanicus, quam fingi ea, seque per inuidiam parto iam decori abstrahi intelligeret. Sub idem tempus è familia Scriboniorum j Libo Drusus defertur moliri

a. Sic lib. 12. Ann. Pleraq; in summa fortuna, auspiciis, & consiliis, quàm manibus gen.

a. i. perficiendū vi. lib. 4. Ann. effectus in quærendi. & lib. 11. finitque tempus intra quod effectus demimus, &c.

j. Vide Senecæ epist. 71.

OBSERVATIONES.

- a Virorum fortium animi non modo accepta insigni aliqua clade non remittuntur, aut infringuntur, quin potius ad maiora audenda incenduntur.
- b Exercitus damna, quæ quisque profectus est, exoluere militibus imperator si potest, debet.
- c Labascunt sine dubio ij, quibus cum eo hoste res est, quem nulle clades, nulla adue: se res frangere poterunt, quippe hæc est illa constantia, quam magis laudare, aut in aliis admirari, quàm ipsi præstare plerumque homines possunt.
- d Supra iam adnotauimus hunc esse morem principum suspitiosorum, quique eorum, qui ipsis operam præstant gloria inuidēt, ut eos honesta aliqua specie reuocent à cursu rerum gestarum, ac parto iam decori abstrahant.
- e Prudens imperator & princeps plura consilio, quàm vi perficit.
- f Ad maiestatem imperii, ac principis dignitatem maxime pertinet, summa ope niti, ne qua iniuria publicè facta inulta relinquatur, præstantissimum autem vltionis genus est, ut vi, & armis nostris vindicemus ab iis, à quibus armatis iniuria nobis illata est.
- g Nulla maior vltionis ratio est, quàm ut relinquatur internis, & civilibus discordijs.
- h Præclarissimum omnino cū iis agitur, quibus aliquis hostis est, quàm cum iis, quibus omnino nullus est, illi enim habent materiem gloriæ, quam viri principes per omnia quærere debent; hi non nisi senescere otio possunt.
- i Magnum est argumentum hominis modesti, ac prudentis, dissimulare ea, que in speciem sui honoris gratia, re autem ipsa contra se fiunt à suspitioso, inuidioque principe, eoque qui plus potest.